Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1747) Lang 1447

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 29. Novembris.

M. JOANNE-BAPTISTA DODART, Doctore Medico, Præside.

Estne Phlebotomia omnium magnorum morborum princeps & universale remedium?

MAGNUS ille est morbus, qui magno aliquo vitio vitam infestat, aut qui vitam in manifestum periculum adducit. Vitam manifestè petit magnus morbus, vel per se, vel vehementiâ, ut syncoptica diathesis, quæ sæpè profusissimam hæmorrhagiam sequitur aut agonisticum gelidæ potum; vel maligultate ut pestis, quæ sine febre aut insigni intemperie non raro est observata. Quin & levis morbus per se, parris dignitate quam occupat, non magnus tantum, verum insanabilis, ut uleus cordis, ut resolutio cordis, quæ non infrequens. Magni etiam morbi nimis quæ pervulgati, paralysis, morbus comitialis, membrorum omnium contractio, etiam qui à segniori pituitâ, subacidoque & vappido sanguine nati sunt. In eodem censu spasmus, qui in exhaustis sanguine aut superpurgatis frequens; aqua intercus, que & magnus morbus est, etiam cum à profuso nimis sanguine accidit, & pervulgatissimus. Remedium, id est per quod medemur. Medicina, est præsentis morbi. *Quod imminentem avertit, vel præsens malum, nè præter modum augeatur efficit, id non remedium sed cautio.* Remediorum alia sunt, sinè quibus omninò morbi curari nequeunt, aut cum quibus facilùs commodiùs, tutiùs; alia per quæ sanantur, vel amotione causarum, vel depulsione, ut cathartica, hidrotica: vel mutatione, ut quæ nil tollunt aut amovent, sed quâdam conversione causas mutant, quarum sunt propria. Cætera his famulantur vel removendis impedimentis, vel suppeditandis auxiliis. Universale remedium apud veteres nullum, apud quos πάνακες & παντάκεια & ὑγεία & talia nihil aliud sonant, quam πολυχρηστα: novorum id inventum, seu votum potiùs, præterèaque nihil. Intelligitur non id quod vi remedii, hoc est ut adversum morbo, sed quod vi naturæ, quâ regimur, cuique robur addit, omni ætati, omni tempore commodum, si haberetur unum solumque omnes morbos curare posset. An posse esse, lis est. Facilè negando dissolvitur. ὑγιεινὸν Hippocrati, verbum ambiguum: Interdùm quod principatum tenet, ut spiritus in corpore; interdùm quod omnia præstat, ut natura ex animo & corpore exutgens: denique quod præstantioribus anteponendum, quales in peditatu Romanorum dicebantur Principes, qui post velitationem primi pugnam inibant ante Triarios præcipuum robur exercitus & spem agminis. Tale quid esse venæ sectionem pronunciavit Hippocrates, sivè qui librum de ratione victus in acutis interpelavit: non in omnibus morbis, sed in acutis: non in omnibus acutis, sed in magnis vehementibusque: nec in omni ætate, sed juvenibus, ac ne his quidem omnibus, sed robustis: his autem nequidem remedium pronunciavit sed ὑγιεινόν. Quid autem? an remedium, an potiùs cautio ne morbus increscat? Hoc tacuit Hippocrates. Forsàn vana quæstio, sed illius sit, qui primus hanc proposuit.

QUIDQUID vitam facit, retinet, idem prosperam, adversamque valetudinem facit. Vitam facit, servat, prorogat sanguis particulis quibus constat, motu quo calet & fluit, & impetu à corde impresso, quo miscentur partes ejus aliàs dissolubiles, & totus circumfluit. Hujus portiones duæ; rubra, quæ cruor dicatur; pellucida, quæ serum. Cruor per se coagulabilis inflammabilisque, cetæ vel resinæ instar particulis mollissimis oleosis constans. Hæc porrio, caloris fomes, alterius quasi portionis balsamum. Serum cruoris vehiculum, atque adeò hoc longè uberius, omnium corporis partium alimentum facilè corruptibile atque indè propè omnium morborum author. Communibus hæc constant Elementis variâ proportione sic distributis, ut lympha multo plus aquæ complectatur, quam cruor, hic multo plus olei spiritusque, quam lympha; utrumque, sal egregiè volatile continet. His conflat sanguis, omnium operum partêm author, partêm materia. Ab eo partes omnes habent, per quod liquorem proprium conficiant. Et sanguis vicissìm ab omnibus accipit operis mandati; materiæ ereditæ primitias, fænusque in se secumque refundum. Indè compositissimus sanguinis liquor tot accessionibus locupletatus omnium omninò humorum particeps, etiam eorum, qui effluvium habent, ut seminis, tam multis, tam variis, tam adversis partibus afflatus, insuper & chyli frequenti; & aëris perpetuâ accessione calet. Unde ejus sapor omnium saporum æquâ propè lance inter se libratorum particeps. Atque hæc ejus natura ex tantâ multiplicitate, una, simplexque, quo stat, vivit, vigetque corpus, ætatibus variat. Parcior puetis sanguis, puniorque, sed mollior, minùs subactus, oleosior, præterea spiritibus turget, sed his deliciatioribus volatiliorìbusque; stabilior senum, fibrosiorque, sed & acrior & vappidus & ad acorem inclinans. Utriusque ætatis jactura difficilìùs refarciuntur. Juvenum sanguis mestio modo se habet, jactaram tolerat reparatque facilìùs. Habitus sanguinis naturalis sisam habet latitudinem, intrà quam prospera valetudo. Eo præter hos limites mutato laborat. Ut à propriis particulis corruptis, ita & à susceptis partium corruptis humoribus sapor sanguinis alienus. Hic morbosus, in quo extremorum aliquis eminet: extremi & oppositi, amaror & acor. Hi utramque vitæ morbosæ, caufariæ paginam faciunt. Cruorem atque lympham, adeòque liquores omnes vitales compingit aciditas nimia, solida rodens, dissolvens, pervertens omnia; amaror liquat, incitat. Ab his & extrorbus externis sanguis nimius, parcior, crassior, dilutior, recoctus, fluidior, limosus, crudus, torridus, alienis admixtis aut propriis corruptis vitiosus. An tot vitiis unum remedium? multa horum vitiorum spontè sanantur, arte nonnulla, omnia per sanguinem. An uno modo? multa sinè febre, multa per febrem, ea scilicet, quæ sinè conatu non potest concoquere, discernere, excludere, atque hæc fermentatione ad tempus molestâ, sed sæpe necessariâ, quæ semper naturæ laborantis est opus. Sed febrium species quàm multæ! uniuscujusque exitus quàm multi! nonnullarum occulti, quæ leniùm noxium humorem dissipant; aliarum subitì & manifesti: plurimatum sudor, item dejectio, tum vomitus; multarum papulæ, maculæ, bubones, abscessus, scabies; nonnullarum hæmorrhagia, omnium critium minimè decretoria. Hæc unus idemque regit sanguis, instâ motione, calore instò alienæ cum cruore lymphæ innatantia, ipsìusque adeo lymphæ vitia per integras cruoris particulas subigens, mutans, exigens: adeò ut febris, nihil aliud sit, quam motus cruoris ad emendationem vitii in lymphâ concepti, vel exclusionem inquinamenti susceptì comparatus, huic non absimilis, qui vel in elixatione, vel in fructuum maturatione observatur ad despumationem & defœcationem, vel mutationem. Hæc imitatur Medicus naturalium motionum contemplator, æmulus, assecla, minister: sanguinem deficientem supplere, languentem suscitare, incitatiorem sedare, sibi ipsi gravem levare æquè paratus. Ut ergò sanguinem in febri nimìs æstuantem tumultuatemque sedabit fomenta subducendo, exundantem minuendo compescet; ità segniorem, & propulsandis incommodis imparem, subditis quibusdam quasi succendiculis nonnumquam incitabit, memor circumspecti hominis esse nonnullas febres intendere, nec imprudentiorem esse, qui febrem operi proposito imparem urget, quam qui mustum frigidiusculum suscitat laconico, vel inditis fermentis, aut qui bubulis carnibus elixandis addit foco ligna, aut qui soles captat, & stercora supponit maturandis in Europâ fructibus Indicis. An indè apud Hippocratem Galenumque nonnullus vini, & acrium atque amarorum succorum, herbarumque & attenuantium usus in febribus.

UT motus sanguinis intestinus motum cordis ciet, ità motus cordis vicissìm motum sanguinis servat, totamque molem circumagit. In hoc circuitu vita: pereunte, perit; instaurato integratur. In hoc sanitas vitesque. Hic circuitus tam ad vitam necessarius, tam utilis ad medendum, tam sensibus rationique manifestus, hoc sæculo deprehensus: unâ cordis & arteriarum systole regitur: uno tenore rotum corpus alluit sanguis, sed permultis vorticibus inter se multum variis tum copiâ sanguinis, quem convehuit; tum ambitu, quem percurrunt; tum regionum ad quas pertinent. Ità parcissimus, brevissimus cordis proprius est; uberrimus brevior & frequentissimus cordis publicus ipsi cum pulmone communis. Tum denique alii, inter quos tardissimus qui cutem alluit. An ut otiosius omnis moles sanguinis aut superfluum serum, aut fuliginem dissipet? Omnis vortex itu redituque constat: reditus itu tardior. Non eodem omnino tempore micant cor & arteriæ. Sanguis cum accessionibus redux ad cor quantus quantus est, totus per pulmonem trajicitur sic tamen ut non eâdem serie totus undequaque redeat ad cor. Justa sanguinis moles ad circuitum ea est, quam vasa capere & transmittere, cordis anthlia facilè pellere potest: levior jubò, graviotque æquè, at non eodem modo debilitat. Quo minorest sanguinis moles, modo sit intrà sanitatis limites, eò facilius & frequentius circumagitur. Cursus sanguinis tam rapidus incitari, tardari potest sinè noxâ, sed non ultrà modum, in quo velocitatis latitudo. Quò frequentius in hac latitudine per pulmonem trajiciatur sanguis, eò subactior, tenuior, calidior. In hoc uno circuitûs efficacia ad sanitatem, vigorem & robur morborumque medelam. An hanc in rem citatior, frequentioreque pulsus in febribus? non quod plus volvat, urgeatque sanguinis; sed quod eò majori nisu & frequentiùs jaculandus sit sanguis lentior & spumosior, quò minùs ejus singulis pulsationibus transmitti potest. Frequentissimus in circuitu morbus, tardari præter modum. Unus morbus, sed quot ejus causæ! non tantum nimia copia puri vel impuri, crudi vel recocti sanguinis, omniaque ejus vitia, quæ lentum, grumosum & fœculentum faciunt, sed & cordis debilitas ab halitu maligno vel profusione sanguinis, suffocatio, strangulatioque per venenæ, partium obstructio, à quibus omnibus, nonnullis etiam inter se pugnantibus sæpe morbus idem, hydrops, cachexia, convulsio; tum tumorum, rheumatum genus omne tam varium, non phlegmone tanrum, sed scirrhi, strumæ, cancer, & qui non tantum à crassiori sanguine torridò, ut Elephas; sed à lutulento per lympham lentiorem, concretam, acrem, ut scorbutus, & qui morbi dicuntur, nec sunt, melancholici. An his unum remedium? Quid febres omnes? An his etiam & adversis inter se earum causis unum remedium? Horum plerumque medicatio, sanguinis cursum expedìri in toto corpore ad medelam; influxum tardari, refluxumque citari in partibus inflammaris, non ad medelam sed ad cautionem. At molis totius circuitûs expeditur aljmentis medicamentisque variis, & evacuatione non unius generis. Unusquisque vortex expeditur tum communibus auxiliis, tum propriis ab ipsâ circuitione petitis ad revellendum derivandumque ab inflammatâ parte ad quam vortex pertinet. Citatur moles non tantum imminuta (modo ne ulera modum) sed & attenuato sanguine & motu cordis roborato, & viis patefactis. Citatâ mole, hoc ipso vortex quisque liberior. Sanguis crassior, grumosior, lentior, qualis febricitantibus & inflammatis omnibus an tardior? Cette que sanguinis cursum morantur in toto, vel in partibus, ea faciunt ad febrem in toto, vel in partibus accendendam: vicissìm quæ sanguinis cursum expediunt, vel dissipando, vel vacuando, vel revellendo, ea nonnuquam febrem per se solvunt. Tamen quæ morantur sanguinis cursum ea febres per se non accendunt. An quod febris sit opus sanguinis se ipsam commoventis? Quæ sanguinis cursum expediunt, ea per se dissolvunt accensas febres, si per se sanguinem crassiorem attenuant. At vacuatio sanguinis in plenioribus, nonnunquam febribus dat initium ad salutem. An quod effervescentiæ dat spatia, quæ plenitudo nimia negaverat?

FREQUENTISSIMÆ morborum causæ plenitudo, crudiras: utriusque vitii fœtus, Cacochymia. Hæc, si mediocria fuerint, sola per se sanat abstinentia, omni Medicinâ melior: sin minùs, nonnunquam aut quia abundat humor effluit solus per spontaneas alui, stomachi perturbationes, ludores, urinas, sputa, aut vasorum oscula reseratis sanguis erumpit. Hæc exemplaria purgandorum humorum per effluvia manifesta, vel occulta, & mittendi sanguinis. Dum sanguis vel erumpit, vel mittitur, æquè sub utroque, sinè delectu lympha cum cruore funditur, & quod utrique inest purum cum impuro, proprium cum alieno, integrum cum vitioso, coctum cum crudo, supervacuum cum necessario pro variâ inter se proportione profunditur, primum ex partibus vicinis, mox ex remotissimis. Ut impuros juvat magis humorum peccantium evacuatio spontanea & critica, quam spontanea sanguinis eruptio; ità utraque evacuatio arte suscepta, altera ad alteram collata cæteris paribus. Utilis venæ sectio plenioribus, nec planè necessaria his qui sibi temperant. Venæ sectio solis his omnino & per se necessaria quibus imminet ruptionis periculum, atque his cautio non remedium. Hæc & impuris cautio, quibus remedium à purgatione vel artificiosâ; & obstructis quos attenuantia liberant; & inflammatis, quos sanat dissipatio, suppuratio. Hos omnes non sanat missus sanguis, sed Medicinæ locum facit quam inclusus impedit. Utilis etiam, imo & aliquando necessaria cautio summis doloribus, ardentissimis febribus, quæ modum coctioni necessarium superant; imo & sanguinem aliquâ ex parte fundentibus aut fusuris justa cautio. Ex toto corpore æquè vacuat venæ sectio undecumque mittatur sanguis. Ex parte pleniori vel laxiori cursus sanguinis revocatur, si ex vortice ducatur, qui laboranti compar est, vel directus, etiam si longe dissitus; modò satis profundatur, maximè si qui laborat vortex per sanguinis aut copiam aut imperum sit magnus, & copiosus, & cordi vicinus. Quid proderunt unciæ XII. levando vortici pulmonis in peripneumoniâ, qui libras sanguinis XV. plus centies in die convehit. Cave pures venæ delectum in revellendo per sanguinis missionem pluris esse, quam quanti est copia emissi sanguinis ex aliâ quâvis parte, si tempus excipias per quod fluit ex sectâ venâ & quantulum ad æquandum hinc inde sanguinis libramentum requiritur. Atque id in tantâ circumfluì sanguinis rapiditate per breve, connitentibus omnibus partibus ad compellendum sanguinem in vacuatam partem. Temporarium ergò & fugax omninò beneficium revulsio per venæ sectionem, nec frequenter iterandum, cum cæteræ revulsionis species, purgatio, vincula, frictiones, motionesque & μετασυγκρισεις, & positura corporis, aut partium situs, in quas aut à quibus revellitur sanguinis cursus, & diutiùs continuari possint, & propè omnes impunè sæpius iterari. Venæ sectio, purgatio, in plenioribus & impuris, abstinentiâ, vel, sanitas sufficit, inedia suppleri possunt: utraque venæ sectione, purgationeque præstantior, maximè in crudis, nisi præceps urgeat necessitas. In corpore ad transpirandum habilis, tub inediâ plus dissipatur humoris alieni vel superflui, nullo tumulto, quam biduo vacuari solet sanguinis, aut humorum repetitâ purgatione subduci, quis enim vulgo libras quinque bidnò deducit? Atque insuper inedia concoquit reliquias, quod nec venæ sectio præstat per se, nec purgatio. Cave mittendi sanguinis utilitatem ex morborum nominibus æstimes, Veterum, Recentiorumque autoritate & exemplis. Causas morborum inspice sæpe varias sæpe & adversas. Item nec quis, nec quid, nec in quo morbo fecerit, sed cur, & quo exitu. Non ergò cuiquam sit fraudi, quod vir robustus est morbus, acutus, diuturnus, calidus, frigidus, in quo sanguinem non miserint Hippocrates, Galenus; cum vix ullus sit morbus acutus aut calidus, in quo non iidem sanguine abstinuerint. Cachexia, tabes, nervorum distentio, nonnunquam à coërcito menstruorum, hæmorrhoidumque solenni stilicidio, magni morbi. In his Hippocrates & Galenus phlebotomiam celebrarunt: in his tamen morbis iisdem restibus à venæ sectione non abstinere piaculum. Orgasmum sanguinis venæ sectione sedaverunt, etiam provectis morbis: orgasmum à fero tumultuante etiam ineunte febre, etiam cum laterum inflammatione, vehementi purgatione, vomitioneque sanarunt. Abstinentium pletoram non sanguinis missione, sed frictionibus, sudoribus, purgatione, &, quod omnium caput est, inediâ curarunt. In peste sanguinem detraxerunt; puta in eâ cui febris adest synochus putrida: in peste venæ sectioni pepercerunt; pura in eâ quæ febri vacat, & veneno constat. At puetis senibusque, & gravidis pepercerunt. An quod pueri multum dissipent, præterea crudiores esse soleant? An quod senes parum valeant? Quid si valeat aliquis, & sit plenior, aut sanguis ferveat Impensius? An quod gravida quædam antè Hippocratem vel ejus temporibus audita sit post venam sectam abortum fecisse? an idcò propter venam sectam? an non hoc ratio dedocere debuerat? contra Botallus non pueris, non senibus, non gravidis parcendum. Quid Veritas? Parcendum esse, quantum licet, pueris lactantibus, senibusque, imò & gravidis maximè sub partum; si autem jubet necessitas, cautius, sed pro ratione utilitatis his omnibus mittendum esse sanguinem. Hoc clamat veritas Veteribus Recentioribusque, Hippocrati, Botallo æque favens, & adversa, imò nulli favens aut adversa, sed sibi usque constans.

QUID ergo? an sanguinis missio remedium magnorum morborum omnium, quorum maximi sunt, qui nullam medicinam admittunt, ut cordis tetanus aut resolutio? an saltem solatium omnium, qui, cum sint insanabiles, aliquandiu trahunt, ut cordis ulcus? An remedium horum omnium, quos fecit præter modum emissus sanguis? An princeps remedium in his, in quibus cautionis tantum rationem obtinet, ut cacochymiâ, obstructione, in inflammationibus systrophicis omnibus? an in quibus æque cum aliis per se curat, ut in plethorâ, quæ tam bene minuitur abstinentiâ? an in his, quibus alia præstantiora, ut crudis abstinentia, purgatio impuris? an his universale remedium, quorum nonnullis prodest, pluribus nocet? an in his, quibus non unum, sed cum multis aliis, imo & post hæc militat? an palmarium in pleuritide, quæ, si quibusdam fides, alvi ductione sanari potest, aut sudoribus, interdum & vomitione? an primarium in febribus, quod per se febrem non curat, quod nonnunquam febres accendit, accensas incitare videtur, nonnunquam brevi defiturus protrahit, aut mutat in deterius? an in febribus intermittentibus, maligni, aut continuis periodicis, in quibus multò præstantiora, & ὑγιεινότερα, quæ causas mutant ut Peruvianus cortex? An semper purgationi præmittendum venæ sectionis auxilium in morbis acutis, quibus utrumque convenit? non semper, si utriusque fuerit usus, multo minus, si fuerit solius purgationis usus, imo neque si fuerit utriusque necessitas, sed tum solum, cum æqua fuerit utriusque necessitas: at si major purgandi necessitas, non tantum rectè anteponitur venæ sectioni purgatio, sed & venæ secandæ necessitatem sæpe tollit, modo ne necessitati purgandi desit tempestivitas. In plenis corporibus alvo crudâ, aut malignis purgamentis infestâ sæpe venam secuisse nocuit, nisi præmissâ alvi ductione per clysterem, aut leve catharticum, sæpe & per efficacioia, ex eorum genere, quæ nec intestina torquent, & liquando subducunt. Nova hæc. Quid si vera? quid, si hoc ipso vetera? quid si veterum hæc sunt, aut ex veteribus? Consideret medendi peritus, quomodo, & quantum ad curationem fecerit auxilium à medendi magistris traditum, an removendis impedimentis, an præstandis auxiliis, an minuendis symptomatis, an causis præcavendis, aut rollendis contulerit. Hæc qui benè in æstimandâ venæ sectione consideraverit, hanc comperiet inter cautiones sæpe, æquè cum purgatione principem; in unâ plenitudine vaforum ruptione imminente verè & unice principem: in permultis morbis utilissimam, qui, quantum ad hos venæ sectio, vel præcavendos, vel curandos pertinet, nec magnitudine, nec ætate definiri possunt, sed causis, necessitate, ætate, anni tempestate, ex quorum complexione pueris, juvenibus, senibus, in magnis, aut levibus morbis præscribi, concedi, differri, rejici, vitari debet.

Non ergò Phlebotomia omnium magnorum morborum princeps, & universale remedium.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus le Rat.
M. Ludovicus Labbé.
M. Andreas Enguehard, Professor Regius.
M. Iosephus Thomasseau.
M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bonnet Bourdelot.
M. Antonius le Moine, Professor Scholarum.
M. Guido Crescentius Fagon Reginæ dum viveret, Primarius Medicus.
M. Iacobus de Bourges.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS BOURDELIN, Sylvanectinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.